

VII.

Resp. 1. Multa dicere, pauca probare, Photinianorum proprium in quarto modo est. 2. Natura relatorum repugnat: Omnis enim relatio ad minimum versatur inter duo, relatum nimirum & correlatum: Quæ licet in diversis subjectis mutuam præstent operam sibi invicem essentiali largiendo: attamen eidem subjecto inesse recusant. Geminum igitur ijs natura assignavit subjectum: Unde resultat hoc axioma: Quo respectu mutuo relata ad invicem uniuntur, per eundem respectum ab invicem distinguuntur, & quodammodo opponuntur. Legans a. & legatus per quandam relationem uniuntur. E. per eandem relationem sibi opponuntur, & uni eidemque subjecto inesse & συνωνύμως prædicari de se invicem non possunt.

VIII.

Instat: *Angelus* (puta creatus) *Jehova* nominatur propter officium & personam quam gerebat. Quo cum facit Smal. contr. D. Franz. d. 1. p. 15. 16. 17. Socin. contra Wieck. c. 3. p. 58. Ostrod. in institut. German. c. 11. §. 4. Drusius iterum & Pererius in cap. 3. Exod. disp. 6. p. 164. *Etsi, inquit, personaliter fuit angelus (intelligit autem archangelum Michaellem pag. 165.) representative tamen erat Deus. Jccirco rectè appellatur Deus Abraham, Isaac, & Jacob. vereque dixit: Ego sum qui sum. &c.*

IX.

Resp. Falsissimum. Hoc enim nomen omnium eminentissimum unice significat, id, quod est supra omnia, verum Deum. Esa. 6, 3. c. 15, 13. c. 42, 8. c. 43, 11. Jerem. 16, 20, 21. Amos. 5, 8. Ose 12, 6. Psal. 83. vers. ulti.

X.

Ubi ad adversariorum κρησφύγετα fugienda notandum: Vocabulum *Jehova* duobus modis usurpari. 1. Vel sine *Compositione*, vel 2. in *Compositione*. Quo ad primum; nobis non de aliquali attributione, quæ indirectè & per casum secundum, fit, sed de directâ, quæ casu primario enunciat, controversia est. Quomodo vocabulum *Jehova* nulli omnino creaturæ competit.

Quo